Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Ord. Phil.
1634. s. a.

Deoyen Alb: Apollo laudi et honori XXXI
virorum eximiorum etc

APOLLO
Laudi & Honori
XXXI. VIRORVM
EXIMIORVM.

Dum ſub auſpiciis

SERENISSIMI ac EMINENTISSIMI

D. IOANNIS ALBERTI

Poloniæ & Sueciæ Principis,

S. R. E.

CARDINALIS,

EPISC: CRAC: PERP: ADMINISTRATORIS,
Ducis Seueriæ, Acad: Cracouieñ Cancell: Ampliſſ:
&c. &c.

A

Clariſſimo & Admodum Rndo D. M. MATTHIA BLOSIO, S. Th. D. & Profeſſ: Decano S. Floriani, Procancellario Almæ Vniuerſitatis Crac: &c. in Artibus & Philoſophiâ Licentiati ſolenni ritu renunciarentur.

Per

ALBERTVM DEOYEN, eiuſdem ſecundæ Laureæ Candidatum. D. D. D.

CRACOVIÆ. In Officina Franciſci Cæſarij, Anno 1634.

Inſignia Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis.



Regia ſceptra ſumus, Craci donata Lycæo,
Bina ſumus, duplex tradimus imperium.
Quid mirum? hoc pietatis habes, virtutis, honoris,
Sarmatiam doctis, hoc regit, ingenijs.

APOLLO

Melpomene, Calliope, Apollo.

M. *QVid video? num Sarmaticis, an fallor? in aruis*
Versor, & ignotâ deerro, regione viarum?
Sæpiùs at memini, me aliquando fuisse, sub vrbe.
Vorticibus crebris, vbi Vistula littora lambit.
Sed video, haud procul hinc inter querceta canentem
Calliopen, suauè & nectentem flore, coronas
Dic quibus in terris? aut quæ colis arua fatere.
C. *Quid vis? Sarmaticas, non nosti forsitan oras?*
Hancq́ vrbem Craci, Cracus quam condidit ille,
Quem tegit hic collis, si vera est fama sepultum,
M. *Vera canis, iam nunc memoro, Tymbræus Apollo*
Sæpiùs hanc vrbem, Craci de nomine dictam
Visere, consuêrat, nam nullis gentibus vnquam
Hac vt in vrbe, vides, extructas Palladis arces
C. *Quid magis est (nescis?) Regum diademate fulget,*
Annus ab hinc, ex quo Regi est diadema repostum
(Altera non glacies, circa hanc vt commoror vrbem)
Heu quibus, & quantis plena hîc fuit illa triumphis,
Centum fumabant, crebrò sublimia tecta,
Tecta vrbis centum, domibus, centumq́ colossis

M. Non ignota canis, sed quæ dico accipe verba,
Dum toties vidi nostrum, hanc inuisere patrem,
Jam toties spreuisse Claron, spreuisse Helicona.
Dicebam, & toties fausto mecum omine dixi:
O Pallas tua Cecropio, si fama sepulta est
Hic pone (æternùm tua fama manebit) Athenas.
Quod penitus vellem, celebrari ab Apolline Cracos,
Craciadas & nos, mutato nomine dici.
Vera domus nam hic est, sacrûm de fonte sororum
C. Certè equidem meritò placuêre tibi, omnia dixti
Et mihi quæ placeat, talis sententia cordi est.
M. Quin magis At quoniam densis sub frondibus ambæ
Sedimus, & molli in campo, (noua namq; voluptas)
Quos virides montes, canos spectauimus olim
Et quas cernis aquas, agitari flumine rauco,
Non procul hinc glacialis hyems, cum ducere currus
Atq; pede insueto tumidum, calcauimus æquor.
Et nunc cultor agri, lætus cum munere grato
Dat Cereri laudes, & pinguis victima crebrò
Ante altare cadit, nunc & bos spectat aratrum.
In campo ludens, viridiq; in gramine stratus
Mugit, & hinc volucres pictæ dant murmure cantus.
Vere nouo gaudent, vernum trahit omnia tempus.
Ergò age (namq; modo pulchro indulgere labori.

Et iuuat,

Et iuuat, & cordi est, lusu disperdere tempus,)
Dicito quid faciam? causam monstrato laboris
Cantare, aut pulchras ex myrto aptare corollas.
C. Haud equidem est nostrum, causam præbere laboris
Virgo tibi, maiori æquum est, parere minorem.
M. Quin age si quid habes, nescis quod noster Apollo
Consilium quærat, cunctarum à ffonte sororum?
Juppiter in summo, quamuis regnaret Olympo,
Nil absq; arbitrio, diuum se egisse fatetur,
Desine plura soror, versus cantabimus illos,
(Si memor es flores, dum cunctæ Helicone sub alto
Quæsiimus) quos & Corydon, Thyrsisq; canebat
Pastores aderant, Melibæus laudabat vtrumq;,
Hic pingues pascebat oues, pascebat hic hædos.
C. Si memini, quanquam meminisse iuuabit, & inter
Montes Hesperios, Dametas, atq; Menalcas,
C. Pastores etiam certabant, ipse Palæmon
Quêis aderat iudex, discernere doctus vtrumq;
Munera namq; dabant, si quisquam vincere posset,
Pocula deposuit, vitulâ certabat & alter.
M. Ergo etiam inter nos, tales componere lusus,
Tempus erit causam, tantùm fac ipsa morandi.
C. Sed vereor, si fortè tuis sit digna, Camænis,
Causa moræ, dicam potius quàm causa pudoris,

Quamuis Castaliis docuit me, Phœbus in oris
Carmina, (crede soror) tantum me posse negabo,
M. Nunquam hodie effugies, nunquam meus ardor, in ipso
Limine cantandi satiabitur, vrget & ipsum
Tempus, & insueto, venientia gaudia cœlo.
C. Optimè, sed nemus hoc lætum quod cernis, & vndas
Conueniamus, & optatâ recreemur, in vmbrâ,
Floribus aut mauis, quærendis perdere tempus.
M. Quid cantare tamen, vel quo certare placebit?
C. Nuper in vrbe fui, Craci de nomine dictam,
Vrbem Lechiadum, Regis de nomine scimus.
Ter decies vidi scriptos, superadditur vnus.
Quêis fortuna dedit campos coluisse Sophorum,
His animo recti, semper sententia puro,
Omnibus vnum opus est, verus labor omnibus vnus
Tymbræi castra sequi, & diuinæ Palladis arces
Intrare, & nobis vitam sacrare perenni
Tempore, cunctorum stant casto in pectore Musæ.
M. Carmine vis ergo dictos, celebrabimus istos?
C. Quin placet, & iustis concentibus addere laudes.
M. Cantibus ast istis, liceat deponere pignus,
Fecerat vt nuper Dametas atq; Menalcas,
Quamuis pastores, Musis maiora licebit
Tentare, haud etiam Musis sua munera desunt.

Non

C. Non fugio: tu dic mecum quo pignore certes:
Laurea dilecto Parnassi in vertice montis
Est mihi, quam feci Phœbo de more, corolla,
Et myrto, & violis, & suaueolente cupresso
Distincta, hanc viridem Phœbo pro munere seruo,
Temporibus nondum impositam, hanc pro pignore ponam.
M. Et mihi si nescis, fuerunt sua munera Phœbo,
(Phœbus enim nostras solet acceptare corollas)
Hæc posuisse nefas; sed si insanire licebit,
Pignus erit nostrum, quod & ipsa fatebere maius.
Phocaico bibulas, seruo de murice lanas
Tinctas, ingenio quondam infelicis Arachnes
Ipsa mihi Pallas, victricia munera dono
Obtulit, & proprium pignus curare coëgit,
Pignore pro certo ponam certaminis huius,
Nec non velle potes, nam si spectare coronam.
Et cupies lanam, nihil est laudare coronam.
. Haud tecum vlterius contendere, pignore vellem
Non tamen effugiam, veniam quocunq; vocabis.
. Certè equidem, sed nonne vides? pharetratus Apollo
Et spolijs insignis adest, properemus ad ipsum.
Audiat hæc tantum, iudex certaminis ille
Sit bonus, huic referam cantus, tu carmina rursus,
Inq; vices iterum, cantus tu, ego carmina dicam.

Quam

C. *Quam bene nunc venies nobis, pro tempore & ecce*
Materiam cantus, gratam tibi ſumpſimus vltrò
Ipſe aderis præſens, iudex eris optimus ipſe.
M. *O pater huc venias, lætus fauſto omine noſtros*
Accipias cantus, vicibus cantabimus illos,
Nobis, atq́ tibi gratos, quos Cracia ſeruat,
Pignoribus vinctum iuſtis, certamen habemus.
Senſibus hæc imis, tantum pater optime mandes.
A. *Ergò quæ veſtræ placuit, ſententia menti*
Dicite, tempus adeſt veſtris concentibus aptum,
Dicite, nunc frondent ſyluæ, nunc fluctibus vndæ
Littora concutiunt crebris, nemus inter opacum.
Et volucres cantant, dare nunc per flumina cantus
Luſibus in medijs argutos, cernis olores.
Incipe Melpomene prior, alterniſq́ ſequatur
Calliope vicibus. Iamq́ hac ſedeamus in vmbrâ.
M. *ALNPECHIVS veniat primùm, tibi victima magne*
Magne pater cultor, veruſq́ eſt iſte ſacerdos.
C. *Haud procul hinc gratum ſpectato, proxime Phæbo*
PIOTROWSKI, tu Phæbe tibi, hunc tu Phæbe ſacrâſti.
M. *Caſta Minerua veni tuus, hic qui te quoq́ gaudet*
SYMPHORIANVS adeſt, Muſarum maxima cura.
C. *Ruſſica Muſa faue, docuit qui te quoq́ multos*
Noſſe WOIASZOWIC, campum petit ille Sophorum.

Noſſe

M. Clio meas ne sperne preces, modo concipe gesta,
Et KRZYZANOVIVM memori, celebrato Camæna.
C. Clio tibi faciam, semper mihi proxima vota,
Si MAROSCZYNII comitetur, gloria laurum,
M. Podlachicis floret, quoniam SVLIKOVIVS oris,
Euterpe facias, curarum hinc gaudia ducat.
C. Ipsa modos vltra, calamos inflare studebis,
CZERNICII Euterpe, haud liceat procul esse labori.
M, Ne RATVŁOVII facias, marcescere laurum,
Docta Thalia caue: colit hic tua mœnia Posnæ.
C. Qua referes THOMAM? (si quæ tibi cura tuorum)
Laude Thalia precor THOMAM? decus ille Sophorum.
M. Parta meo referam, RADYMINSKI munera lauro
Sarmaticis fieri possit, quo Tullius oris.
C. Melpomene haud (quamuis liceat) mihi dona negabis,
OMIECKI eloquio facias, sit proximus illi.
M. Laurea dona capit BRONOWIECKI, mandat Apollo
Terpsiphore citharam quatias, pater optimus vrget.
C. Quo BERNOVICIVM, cupies soror optima cantu
Cantare, ille tuis tantum bene doctus in hortis.
M. Sic Erato faueas, VIVIANO maximè nouit
Quærere, qui doctus, qui respondere paratus.
C. Non Erato temnas, tuus hic est ille PRZYŁVSKI
Podlachicis solus, qui sit bene notus in oris.

Quod

M. Quod potero faciam, extendat Polyhymnia cantum,
Vt memoret Sophicum, dum intrauit SVSCIVS hortum.
C. O cui Phœbe faues, faueat Polyhymnia & illi
Ille colit Musas, colat hunc Polyhymnia, Phœbe.
M. Vrania tuo cœli, monstrato IOANNI
Cursus, & duplici felicem ornato, corollâ.
C. Nec tuus hinc abeat, SKRZYNSKI sine laude coronæ
Proximè Castalijs ille educatus in hortis.
M. Quamuis PETRE bonus, cœli es spectare meatus,
Calliope faciet, poteris bonus esse Poëta.
C. Qui te Phœbe colit, nostris Hiacynthus ab oris,
Myrtea serta feram, lauro distincta vicissim.
M. Lenta salix quantum, pallenti cedit oliuæ
Ingenio ANDREAS cum aliis me iudice floret.
C. Vt Phœbo Musæ, Musis decus omne parentis,
BVRCHATOVI decus, cunctis tu maxime Musis.
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis Apollo?
Si dum alios ornas, marcescet laurea BOHIM?
C. Calliopen me Phœbus amat, mihi carmina curæ,
Pierides vestro sertum modo nectite STRAZYC.
M. LEMKA GEORGI tuos, Lublini, haud sperne penates,
Tu decus omne tuis: Phœbus mihi dixit Apollo.
C. Nectite cum violis, cum suaue rubenti Hyacintho
Laurum, in Parnasso WIECZ vestro nectite, Musæ.

Du

M. *Dux Heliconis ades, noster* TERSZOVIVS *ille,*
Solus in excelso est, Heliconis vertice montis.
C. *Ad Vartam, Vartam, lambit quæ mænia Posnæ,*
Ornetis WOYTOVICIVM, *citò currite Nymphæ.*
M. *Vltima dona feram, quamuis non vltimus ille*
Ingenio præstat, SKVDZINSKI *hunc Phæbus amauit.*
C. *Hunc si Phæbus amat, (Phæbo sint munera) præstat*
Doctrinâ quoniam, dabit huic Academia laurum
M. *Orpheus vt syluas rexit, delphinas Arion,*
Craci Sarmaticis, Academia regnet in oris
C. *Sol obeat terras, & humi nascentia ducat,*
Educare potest, teneros Academia fætus.
M. *Dic cuius genio, (tibiq; hæc victoria cedat)*
Sarmaticus floret, sanctusque, piusq;, Senatus?
C. *Dic quis Lechiadum, tantum dat numinis oris,*
Vt præstent studio, & donum victoris habeto.
A. *Linquite iam cantus, vestros iam linquite versus,*
Ambæ muneribus dignæ, ambæ pignore dignæ,
Et mihi dilectos, fausto omine, serta coronent
Laurea, non vnquam dilectos linquet Apollo,
Qui Iagellonio, non deêrat Apollo Lycæo.

ODE

TRIC: TETRASTR.

Ad Apollinem & Musas

Pro Cætu Candidato.

NVnc est canendum, nunc digitis chelys
Pulsanda doctis, nunc pede Lesbio
Cantare, Lechicos penates
Tempus adest, Ligyæ sorores.

Antehac amænis, Thespiadum locis,
Fontes sacratos, Pegasi ab vngula,
Montesq; Pymphæos, & album
Hippocrenen, coluistis, antehac

Flores corollis, Pierium super
Montem, ac apricos Castalios agros
Aptastis, Orpheo canoras
Barbite, percutiente, chordas.

Nunc dum Sophorum, Sarmatiæ decus,
Mater benignâ distribuit manu
Cum lauro, honores & corollis
(Ferte simul noua dona, Musæ)

Quis

Quis non ſonantem, ſpectat Ariona?
Cantu aut fluenti Dorcea reſpicit?
Quis non Philæmona, aut Iopam
Carminibus citharâq; pulchros
Præſens vocabit? PHÆBVS in arduum
Veri colonos, nobilibus modis
Extollit, & viris Sophorum
Principibus placuiſſe, gaudet.
Qui non beatis, vulgò Arabum inuident
Gazis, nec acri militiæ ſtudent,
Non ante deuictis Tyrannis
Sarmatiæ, horribiliq; Moſcho.
Docti ſacratam ter, quater & magis
De luce mentem paſcere dotibus,
Pro more conſueto, Sophorum,
Pieridum reſerando campum.
His æſtuoſæ, grata Calabriæ
Armenta, & aurum his eſt procul Indicum,
His rura, quæ Lyris quietâ
Mordet aquâ, procul eſſe cordi eſt.
Hos inter alti muneris ingenii,
Fulgent Cleantes, Socraticus chorus,
Hos inter & Phænix Achillis,
Tullius. & Stagirita doctus.

O Phæbe gratos, qui tibi respicis
Arcu relicto, tende per arduum
Delonq; , Cynthumq; , & Phaselum,
Linque Rhodon, Tenedonq; Apollo.
Hic non ab Arcto, gens tibi amabilis
Certo patrono, munera debita,
Supplex feret, non vota frugum,
Donat Hyperboreis ab agris.
Sed corde puro, quæ tibi seruiens
Musas perenni tempore, conuocat
Cum mente, sic suauem senectam
Degere, vult studijs sacratam.
Ergò sacrati Castalij, Deæ
Fauete, Phæbus quos colit, hi colunt
Musas, choro fauete grato, &
Flore nouo, pia dona ferte.

ÆNI-

ÆNIGMA.

PRima prius capiant, ſi quæ ſunt munera, Muſæ,
Proximus in grato munere, Phæbus erit.
Roma feret Regum numerum, poſt hinc ſapientum
Græcia, ſed Charites, non procul inde ſedent.
Annua quæ veniant, ſignabunt tempora metam,
Collige quid faciant; omnia Phæbus habet.

ALIVD.

PRopoſuit numerum Nymphis, ſibi ferre ſacratum,
Præmia, cui Phæbus, laurea ſerta daret.
Sextantem Xantho tulerat, Beroeq; trientem,
Phillodoce decimam proxima, ſorte dedit.
Signat quintantem Dryas, vnamq; ſecundæ
Clio parat, pars eſt vnica Theſpi tua.
Quamlibet auferre hinc Muſam, Phæbus iubet vnum
Quæ ſuper eſt turba, hæc laurea dona capit.

Clarissimo & Magnifico D. CHRISTOPHORO NAY-MANOWICZ, Philosophiæ & Medicinæ Doctore & Professore Ordinario, pro tunc Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generali Rectore vigilantissimo,

Artisticæ verò Facultatis Decano Eximio ac Excellenti R. D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC, Regio Professore, ad S. Annæ Canonico, existentibus.